Aperhag — n.º 9 armº

Nº 207

S. I
85-19

1

ºU

GOBIERNO DE ARAGON

Hoc est translatum sumptum fideliter a quodam originali publico instrumento aperto cuius tenor infrascribitur. Sumptum est hoc translatum ad opus domine Aucgerie uxoris venerabilis Francisci de Montesono
quondam civis Barchinone pro qua Bnardus Sapila infrascriptus de quinque mille solidos censualibus infrascriptis vendidit dicte domine et suis pretio duos mille solidos censuales et annuales cuius quidem instru-
menti tenor talis est. Noverint universi. Quod Ego Petrus de Vallo Consiliarius et Thesaurarius domini Regis confiteor et recognosco vobis Bnardo Sapila mercatori civi Barchinone quod solvistis michi illos
sexaginta mille solidos Barchinone pro quibus seu quorum pretio Inclitus ac magnificus dominus Johannes dicti domini Regis primogenitus eiusque Regnorum et terrarum generalis Gubernator Dux Gerunde Co-
mes Ceritanie nomine suo proprio et Bngarius de Relato Magister racionalis curie Regie Petrus ça Costa bajulus Cathalonie generalis et ego ut procuratores dicti domini Regis vendidimus
vobis et vestris et quibus velitis pretio mediante quodam instrumento quinque mille solidos Barchinone annuales et rendales ex illis undecim mille solidos eiusdem monete quos Aljama Judeorum Barchinone et sin-
gulares eiusdem dicto domino Regi anno quolibet videlicet medietatem in mense Madii et alteram medietatem in mense Septembris dare solvere et pagare tenebant et
sunt ex illis tresdecim mille solidos predicte monete quos dicto domino Regi predicta Aljama et eius singulares pro tributo seu questia quolibet anno judeis eiusdem dare solvere et pagare
consueverunt et etiam tenebant ut hec et alia in instrumento dicte vendicionis quod factum fuit auctoritate subscripti notarii prima die mensis Madii anno quo supra [illegible] et prima die presentis
mensis Aprilis anno subscripto clauso explicantur. Quos vero sexaginta mille solidos solvistis michi hoc modo quod vos de voluntate mea Petro des Caus et Andree Dolcella campsori-
bus Barchinone tradidistis. Unde renunciando exceptioni pecunie non numerate non habite et non recepte et doli mali et accioni in factum facio vobis de predictis sexaginta mille solidos
bonum et perpetuum finem et pactum de ulterius non petendo firma et solempni stipulacione vallatum. Quod est actum Barchinone tercia die aprilis anno a nativitate domini millesimo trecente-
simo octuagesimo primo. Signum Petri de Vallo predicti Qui hoc laudo et firmo. Testes huius rei sunt Geraldus Marques Petrus Pou et Petrus de Vilamajor. Signum
Guillermi Oliverii dictorum dominorum Regis et Ducis scriptoris et auctoritate ipsius domini Regis notarii publici per totam terram et dominacionem suam Qui predictis interfuit et hec
scribi fecit et clausit.

Signum Bernardi Bngarii Ermegaudi auctoritate Regia notarii publici Barchinone testis.

Signum Clementis de Marquilio notarii publici Barchinone testis.

Signum Francisci de Montealto notarii publici Barchinone Qui hoc translatum a suo originali fideliter sumptum et cum eodem de verbo ad ver-
bum legitime comprobatum scribi et translatari fecit et clausit cum literis suppositis in linea sexta ubi dicitur sol. et in raso posito in
linea septima ubi dicitur et alteram.